

Letter 515: 3 October 1533, Augsburg, Gereon [Sailer] to Capito

The autograph original of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 157, pp. 391–2.

Bene agere in Christo. Expectamus sedulo quid in rebus nostris admodum adflictis, sitis consulturi. Volebam tum ad te scribere quum vestras acciperem literas, sed quando commodum oblatus sit nuncius, nolui committere quo vacuus abiret. Scripsisti de puero miri pro aetate ingenii. Ego te rogo per Christum ut quamprimum eum ad me mittas, eum perinde ut filium meum tractabo, modo obsequatur et vitae et literis ita indulgeat, ut posteritati per eum commodare possim. Da operam, ut eum aurigae alicui committas, qui eum ante hanc hyemem ad me pervehat, et cum parentibus, si quos habet, ita agas, ne quando faelicus succederent cum puero conatus, mihi semienutritum eriperent.

De rebus nostris nihil aliud scribendum admittit veritas, quam quod miserae sunt et omnino deploratae. Parum esset, id quod maximum est, non promoveri evangelium. Modo non peius haberet! Videmus, proh dolor, plures quottidie ab evangelio deficere, ita ut nulli penitus sectae faveant, eorum socordia id promerente, qui maxime alacres esse deberent. Pars eorum tepet, alii omnino frigent, vix unus aut alter fervet. Sed satis de hac re de qua nihil ordinatus sperare licet. Schwenkhfeldius heri advenit sub noctem quo commodum nostrae ecclesiae exitus probabit. Fratres et consortes adventum consortibus annuntiant.

Item Bucerum saluta cum fratribus cunctis. Vellem me habere adhuc aliquot dialogos, mire mihi arridentes. Pueros meos cum praeceptore saluere iubeo. Vale ocissime. Augustae III Octob. anno MDXXXIII.

Geryon tuus.

De puero ad me mittendo velim te esse sollicitum.

[*Address*]: Praestantissimo viro, Wolphgango Fabricio Capitoni Argentoracensis ecclesiae theologo, fratri in Christo syncerissimo.